


Bibliothèque numérique

medic @

**Baron, Hyacinthe-Théodore - candidat
/ Douté, Amand - président. - An Lac
Convalescentibus ?**

1710.

***Paris : Typis viduae Francisci
Muguet, Regis & Facult.
Medicinae Typographi
Cote : ms 2325 n°47***



QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ Martii 1710.



M. AMANDO DOUTE', Doctore Medico, Præside.


An Lac Convalescentibus?

I.

PLENA utendi libertate alimenti injuriæ maximè obnoxius homo, unus præ cæteris viventibus gulæ peccatis vitam causarius trahit: factò pro arbitrato eorum periculo, quæ Naturæ prima, normam deinceps ipse sibi posuit scripsitque salubriùs vivendi. Hinc Diætæ lex integrè sanis aut causariis non una, nec par ægris, vel è morbo naufragis ac Convalescentibus, quia, nec una, neque ulli usquam adeò sincera ac solida sanitas obtigit, nec morbus unus, iidemve hinc & indè cuique patent carceres in Orcum vel Lucem; quanquam ut vitæ, ità victûs communia & prima è sanguine, in sanguine, à sanguine Elementa, quibus stant simul solido nexu artis & Naturæ labor, tutela sanitatis, morbi semina, maleficia, vindiciæ. Hinc omnibus pro voto & scopo esse debuit quærenda in alimento prior potiorque Medicina, nemini licet tam æqua ac beata, ut nunquam læserit, vel in eâ peccarit Artifex, errore semper de cætero Convalescentibus quàm sanis graviore, præsentiore.

II.

MULTO quippe major certiorque noxa hos illosque manet ex inconsiderato alimenti usu, quàm syderum positu inimiciore, Ambientisve inquinamentis, cibo etiam quàm potu: His tamen quàm illis ut minora, sic rariora, breviora, innocentiora ventris peccata; severiori idcirco diæteticæ artis legi in iis plerumque dissimulanda, illis permittenda nunquam; sed tùm quoque quàm sævâ crudâque consuetudinis tyrannide Naturæ jura occupant opprimuntque, si quâ superest ratione coercenda, castiganda, quæ Convalescentum causariorumque famelica natio, longâ macie ac tabitudine efferta, dudùmque feriati ventris acta intemperiiis ultrò



1402
2
volens ac sciens sæpiùs admittit, ad Chænicem justumque demen-
sum, malè sanam, pejus securam ingluviem nescia circumscribere.
Sive enim quidquid erat virium primique roboris acuti morbi vis
ultima cùs paucos dies decoxerit, aut misera diuturnæ valetudinis
tandem affligerit patientia, dum alii prætiosis roborantibus delusos
enecant, incenduntque jejuniosioris corpusculi annonam; hanc tu
ipse contrà naturæ propitiùs jubeas convalescere, modò ità laxes,
ut simul comprimās, scitè doctus inter eas rerum ægri angustias, non
mole aut substantiâ, sed facultate alimentum æstimandum, operi
non oneri mox futurum.

I I I.

QU A L E porrò illud esse oporteat, si requiris? Quod omnibus
suo merito acceptam alibilis succi gratiam sic repræsentet, ut
nihil indè naturæ, quamvis ægriùs tùm coquenti, sit factura nego-
tium, aut morarum sua singulis partibus Diaria diribenti: ab his modò,
quod salubre audiat, obtinuit alimentum; tale quidem ubi nec co-
piâ, quod exhaustum est, superat, neque redimendâ aliâs inopiâ
fraudat ac depauperat genium partium, non glutino sequacis succi
facilè concrefcens, nil operosi sustineat, de facili eliquetur in chy-
lum tenerâ mollitudine friabilis substantiæ, vacet excrementis: hinc
maturioris coctionis integritas, ἀναδύσιος commoditas expeditior,
sincerior purgatorque succus, nutritatus felicior; indè laudatissimi
sanguinis salit vena, qui temperie ut consistentiâ medius, sanis,
ægris, fortis ambigua causariis accomodatissimus. Quæ dos bonita-
tis integra & prima in lacte desideratur. Hoc lentore pingui, ter-
renoque crassamento, quibus maximè abundat, geminum istud &
præcipuum alibilis substantiæ vitium liquidò probat non posuisse:
etiam propiùs admotum vitæ laribus, medioque hujus foco condi-
tum, viden? Ut benè sanis Puerperis, Nutricibus distenta lacte ubera
in Tophos protinùs durantur, fidelique corruptionis symbolo abeunt
in suppuratum nullo privilegio loci, nullâ proprii caloris tutelâ. Ecce
de Lactante calens, lactentis suctu calido ventre receptum, ore sta-
tim redditum lac caseus prodit. Spongiosa illa lactis densitas male-
ficæ conscia corruptela: fit eccè ἀυτοπρηπὸς ille spontaneo feri divor-
tio simul ac in matrâ lac coacuerit vel maturiore coagulo venena-
rit artificis gulæ impatientia; omni proindè cujuscumque coctionis
errori aptissima qualiscumque sit γαλακτοτροφία, etsi Pytoclis exemplo
marasmo tabescentibus interdum permittenda ad ἀνατροφήν lacte
plurimâ aquâ diluto, quæ solvat præsens coaguli venenum, nec inno-

3
 cens illâ Arthritidi & Rheumatismo, ut ut sævos demulcens dolores, quot defuncti scyllâ in Charybdim naufragi ! ingreditur blandè suavissimus hic liquor, at in novissimo mordebit integro nomine vitiositatis.

IV.

IN lactis natales inquirere, res otioso Naturæ contemplatore digna, detexisse eximia laus. Negotiosum verò Medicum attinet nosse quibus opportunum sit alimentum, benè sanus reputet quod ipso nutrirî puerum edentulum providentis naturæ temporaria gratia fit; quæ indulgentia perfectâ dentitione exolefcit, secùs versâ in injuriam Ascaridibus ansam præbet dum per moras dulcedinis illicio nocente *ἰχμαλὲς* beneficio cadit, cõctioni per quam infesto acore abdicatur naturalis officinæ vestibulo, regeriturque caseosum non nisi graviore damno retinendum; coit ubi duritiâ Pumicis in modum, vexat intestina torminibus, præfocat hypochondria, utilem prohibet annum com meatu, arctat clauditque animæ vias; si crudum purum putumque obtuleris, eò uberiore crassioris recrementi exagoga futura, quò cõctius: adeò brevi momento sua bona exuit aut perdit liquor iste, domestica vitia explicat, induit, retinetque pertinaciùs aliena: etiam de fonte haustus lactentium ora exulcerat, fœdat aphtis, ulcusculis serpentibus manantibus genas arat, æruginosæ splendidæque bilis proventu plurimo mordet impedita viscera, ad omnem expeditior injuriam contrariis quibus coit substantiis, fero, caseo, butyrò; neque uno corruptionis genere, acore, nidore inimicatur, præsentè obstructionis noxâ febrientibus, catarrho, sputo sanguinis, cancris, cephalalgicis, calculosis affectibus interdicens: mitioris lac mixtum indolis neque tamen nocendi suspicione vacat, quâ laborat naturæ suæ forte, nec dum melle, saccharo, sale, menthâ, vino, aromatis conditum emendatumque, cacochymis, *μεγαλοσπλάνων*, hepaticis, vertiginosis, comitialibus, impuræ veneris reis *πᾶν ἀθετον*: neque de lactis delectu nimiùm sis sollicitior, communis undecunque perniciës, at seriùs ocyùs huic istive minor, indulgentior, obscurior valentibus, usurâ graviore præsentiore cæteris, summâ in solidum convalescentibus.

V.

UT pote quibus nec dum ex integro flamma deferbuit, sed posthuma vivit adhuc favilla sæpè relicta in rogum, dum superstitis hujus in putri humore fermenti neglectis igniariis alitur clanculum & fovetur: neque tum in vado res ægri pace sequestrâ satis vi-

dentur compositæ, cui aliàs morbi vi, naturæ nixu improbo, artis præsidis sic exarmato, ægræ, pendentisque valetudinis vel ipsa imbecillitas jurè faciat controversiam, morbique jamjam redituri haud inanem metum augeat pertinaci fastidio *ἢ ἀνασφάλων* gravis usus. Quid illi tandem fiet, si avido & exhausto illius alimenti indulgentior feceris copiam, quod pingui oleosâque sui portione adeò proclive est ut de facili ignescat æstuantibus visceribus, sicque febriculoso ardore pristinum suscitaturum incendium: aut secùs vitæ focum pertinaci partis caseosæ lentore inimicissimo restinguat minuatve, vel seroso humore sui impotens exundet: hinc adversa omnia meritò experiaris aut metuas injecto lacte, studio remeandi permolestum ventriculo infesto ructu acido, insolito vel nidorulento os spureatur, continui corruptæ, vel interceptæ annonæ labores, venturaque longo ordine pejùs saburrati ventris mala, diarrhæa præsertim quâ vitæ genius defraudatur, quod uti ne fieret aut in noxam cresceret fatiùs fuerat providisse. Cave sis igitur ne præcipiti nimium *ἀναλήψως* studio pauperem in Convalescentibus vitæ foculum alimenti pinguioris, crassioris strue adobruas, modico, verùm assiduo & accurato pabulo factâ sensim utilis substantiæ accessione suscitandum: haud aliâ equidem arte excitaturus es luculentiorē, quàm si boni succi *ἐλιχότροφα*, non idcirco pluris excrementi insimulanda, quæ nunquam concrevant, perfacilè mutantur, subeant faciliùs, difficillimè corrumpantur, nihil gravent, Convalescentibus accepta sint, non ea, quæ recentem accersunt aut revocant novâ corruptelæ accessione (in quam maximè prona cujuscunque lactis substantia) occasionem recidivæ, quam ut avertas morbi *ἀντίνοσος*, ipsorum naturæ ad obvia quæque cæspitantis impotentia satis admonet.

Non ergò Lac Convalescentibus.

Proponebat Parisiis HYACINTUS THEODORUS BARON,
Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1710.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medicinæ Typographi.